

Hus, Jan

Nechutová, Jana (editor); Fuksová, Jana (editor)

Příloha I : De tribus dubiis

In: Hus, Jan. *Mistr Jan Hus v polemice a za katedrou*. Nechutová, Jana (editor); Fuksová, Jana (editor). Vydání první Brno: Filozofická fakulta, Masarykova univerzita, 2015, pp. 97-102

ISBN 978-80-210-7873-4

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/134098>

Access Date: 29. 11. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

PŘÍLOHY

PŘÍLOHA I

V této příloze přinášíme kritický přepis Husova traktátu – kvestie De tribus dubiis podle starého tisku Flacia Illyrika Iohannis Hus et Hieronymi Pragensis confessorum Christi Historia et monumenta, Norimbergae 1558, fol. 167v – 169r.

Přepis nemůže nahradit kritické vydání, které dosud nebylo pořízeno, podáváme jej zde pro lepší dostupnost textu a jako informaci pro uživatele této publikace. Přepis je pořízen podle zásad užívaných u kritických edicí Husových spisů: interpunkci a užívání velkých písmen aplikujeme podle národního českého úzu; grafika jednotlivých slov Flaciovy edice je respektována („autoritas“, „quicunque“, „quemcunque“, „obedire“, „prelati“, „pronunciat“, „pronunciaturum“, „Paraclaetum“); zkratky pro biblické knihy a pro výrazy „distinctio“ a „capitulum“ rozepisujeme; biblické citáty dáváme tisknout kurzívou a opatřujeme je uvozovkami; citáty z dalších autorit (církevních spisovatelů) pouze opatřujeme uvozovkami.

Tyto citáty, biblické i další, jsou určeny v podčarových poznámkách u překladu tohoto textu výše; upozorňujeme, že pokud jsou biblické odkazy uvnitř citátů z autorit, nachází se jejich určení přímo v textu v závorkách.

Tractatus de tribus dubiis factis in Holomutz, quae idiotae asserunt pro vero et tanquam fidem, anno MCCCCXII

Quia dubitantibus sanum est consulere, ut dubitatione postposita valeant veritati utiliter adhaerere, ideo amico quaerenti tria dubia debent solvi:

Primum dubium: quaesitum est istud, utrum in papam sit credendum?

Secundum dubium: utrum possibile est aliquem hominem salvari, qui non confiteretur ore mortali sacerdoti?

Tertium dubium: utrum aliquis sanctorum doctorum sentit aut dicit, quod aliqui de pharaonis populo submerso in Mari Rubro et de Sodomitis submersis sint salvati?

Ad primum dicitur, quod non. Pro quo notandum, quod aliud est credere rem, aliud credere in rem, aliud credere rei. Credere rem est fidem habere de re, quam non videt credens, et sic credimus Deum et de Deo, quem non videmus. Similiter credimus quicquid Scriptura dicit nobis credendum, ut credimus angelos et demones esse et credimus omnes articulos fidei, sed non credimus in ipsos. Unde quo ad articulos fidei istud proposuit Salvator Marthae Ioannis II istum articulum: „*Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.*“ Secundo proposuit istum: „*Et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.*“ Et subiungit: „*Credis hoc?*“ Non dixit: Credis in hoc vel huic. Et Martha fide plena respondit illi: „*Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*“ Ecce Salvator ei duos articulos credibiles quaesitive proposuit et ipsa illos fideliter astruens tertium credibilem cuilibet homini adiecit.

Credere vero rei est habere pro vero, quod res illa dicit esse verum, et sic credimus toti Scripturae sacrae, sed non in Scripturam. Credimus cuilibet creaturae veritatem dicenti, quam non videmus, sed non credimus in quamlibet huiusmodi creaturam. Et hinc Salvator saepe hortatus est, ut sibi crederent. Unde dixit Ioannis 4 ad Samaritanam: „*Crede mihi, mulier, quia venit hora, quando nec in monte hoc nec in Hierosolimis adorabitis Patrem.*“ Et ad Iudaeos saepe dixit: „*Veritatem dico vobis, et non creditis mihi.*“ Et quia pariter est credendum Patri et Filio et Spiritui sancto, ideo saepe assumpsit Patrem in testimonium, qui testatus est ei per Spiritum sanctum, et non credentibus dicit Ioannis 3: „*Quia nos quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis coelestia credetis?*“

Credere autem in rem est ipsam supreme diligere, et cum nihil debet supreme diligi a creatura rationali quam Deus, patet, quod in nullam rem est credendum aliam, quam in Deum. Et de illo credere est illud verbum Christi Dei: „*Amen dico vobis, qui credit in me habet vitam aeternam*“ Ioannis 6. Et illud: „*Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum*“ Ioannis 11. Et valde saepe in evangelio sic sumitur.

Ad istam triplicem distinctionem de credere loquitur venerabilis Beda super illud Apostoli: „*Credenti autem in eum, qui iustificat impium.*“ Ita dicit: „Aliud est credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo est credere vera esse, quae loquitur, quod et mali faciunt; et nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum est credere, quod ipse sit Deus. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere et eius membris incorporari.“ Haec Beda, et allegat eum Magister Sententiarum in tertio libro, distinctione 23, capitulo 1. Et concordat beatus Augustinus Super Ioanne, super illo verbo Ioannis 7: „*Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquor.*“ Unde Augustinus dicit: „Si quis voluerit voluntatem eius facere: hoc pertinet ad credere. Ut diligentius intelligatur, opus est nobis ipso Domino nostro expositore, ut indicet nobis, utrum revera ad credere pertineat voluntatem Patris eius facere. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem Dei operari opus eius, id est quod illi placeret? Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit: Hoc est opus Dei, ut credatis

in eum, quem ille misit: ut credatis in eum, non ut credatis ei, sed si creditis in eum, creditis ei. Non autem continuo qui credit ei, credit in eum, nam et demones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de apostolis eius possumus dicere credimus Paulo, sed non credimus in Paulum, credimus Petro, sed non credimus in Petrum. Credenti enim in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiam. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire et membris eius incorporari. Ipsa est ergo fides, quam a nobis exigit Deus.“ Hec per totum Augustinus.

Ecce expresse iste sanctus dicit, quod aliquis credit Deo, et non in Deum, ut omnis, qui est in crimine; imo Iudaei, pagani, haeretici, diaboli credunt Deo, sed non credunt in eum, quia non habent „*fidem, quae per dilectionem operatur*“. Item dicit, quod non credimus in apostolos, sed credimus apostolis, sic christiani non credunt in praelatos, sed credunt praelatis, quando dicunt legis Dei veritatem. Et ut errorem credentium in papam excluderet, dicit: non credimus in Paulum, nec credimus in Petrum. Sed in Petrum quomodo credere debemus, aut in quemcunque alium, dum in loco Petri sedere potest Antichristus, sicut sedit mulier, quae existens papa pauperum peperit puerum?

Et quia dicunt esse in ecclesiam credendum, ideo obviat eis beatus Augustinus in Expositione symboli dicens super illum articulum Credo in spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam: „Et notandum“, inquit „quod non est credendum in ecclesiam, cum non sit Deus, sed domus Dei.“

Ecce isti magni sancti, Augustinus, Beda, cum aliis Scripturam sacram intelligentibus docuerunt et tenuerunt, quod non est credendum in hominem, nisi sit Deus omnipotens. Nec in aliquam puram creaturam, sed solum in Deum, aut in divinam existentiam, et in Deum Patrem et in Deum Filium et in Deum Spiritum sanctum. Et hinc est, quod in Symbolo apostolorum ista praepositio „in“ non apponitur alicui parti articulorum nisi circa personas, ut ibi „Credo in Deum Patrem“, et ibi „Credo et in Iesum Christum filium eius“, et ibi „Credo in Spiritum sanctum“. Et ista praepositio „in“ non debet proponi illi accusativo „ecclesiam“, ut notat sanctus Augustinus, expositor Scripturae praecipuus. Unde si in puram creaturam esset credendum, tunc quilibet hominum obligaretur sub poena aeternae damnationis ad sic credendum, et per consequens doceretur hoc in sacra Scriptura, quae est sufficientissima ad declarandum ipsam fidem. Doceat ergo ex Scriptura aliquis, quod in puram creaturam sit credendum, et credemus ei. Sed credo, quod non adducet argumentum efficax, donec Christus homo ad iudicium descendet. Imo si in puram creaturam esset credendum, non valeret Salvatoris consequentia, quam facit Ioannis 14: „*Creditis*“, inquit, „*in Deum, et in me credite!*“ Ubi dicit Augustinus Super Ioanne: „Ne mortem timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, etiam Deus se esse contestans: *Creditis*, inquit, in Deum, et in me credite! Consequens est enim, ut si in Deum creditis, et in me credere debeatis. Quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Creditis in Deum, et in eum credite, cui natura est, non rapinam arbitrari esse aequalem Deo. Semetipsum enim exinanivit, non tamen formam Dei omittens, sed formam servi accipiens.“

Ecce quam bene declarat iste sanctus consequentiam Christi esse bonam, scilicet istam: „*Creditis in Deum, ergo in me credite!*“ Quae non valeret, si Christus non esset Deus. Probavit

enim per illam consequentiam se esse Deum. Unde quicumque illam consequentiam de se ipso formaret praeter Deum, hoc est qui non esset Deus, ille Deum blasphemaret asserens, licet false, se esse Deum et aequalem Deo, volens recipere honorem Dei contra illud Esaiae 42: „*Gloriam meam alteri non dabo.*“ Unde diabolus attentavit de illa rapina in coelo, et in monte Matthaei 4 volens, ut ipsum Christus ut Deum adoraret, et in idolis gentilium induxit tam gentes quam Iudaeos, ut crederent in illa, quae non sunt Deus; et nunc ducit christianos in par devium, ut colant hominem purum ut Deum, et credant in eum. Credentes enim in papam vel in alium hominem, qui non est Deus omnipotens, credunt eum, ut sic esse Deum omnipotentem, „*et sic extollunt eum supra omne quod dicitur Deus.*“ Idem enim est adorare latria rem et credere in illam. Credant ergo et adorent latria qui volunt purum hominem, qui nolunt solum in Deum credere et ipsum adorare latria. Veri autem adoratores adorent Deum in spiritu et veritate. Hoc enim Samaritanam in fide erroneam docuit Salvator Ioannis 4: „*Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est. Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit adoratores, ut adorent eum.*“

Ecce inducit Salvator mulierem ad veram adorationem, ut adoret Patrem Deum in Spiritu sancto, et Veritate, Christo. Sic enim adorant veri adoratores Patrem Deum in spiritu, et econtra Spiritum sanctum in Patre. Item Patrem in Christo Filio et Christum in Patre iuxta illud Iohannis 14: „*Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est?*“ Quid est in proposito dicere: „*Qui videt me, videt et Patrem meum,*“ nisi qui cognoscit me per fidem et credit in me, videt, id est, credit in Patrem meum? Et quia qui credit in Patrem et in Filium, credit etiam in Spiritum sanctum, ideo statim dicit post Salvator: „*Ego rogabo Patrem et alium Paraclaetum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.*“ Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. Quid est „*dabit vobis spiritum veritatis,*“ nisi³³⁴ Spiritum sanctum, quem mundus, id est malorum praescitorum hominum cumulus, non potest accipere, quia non videt eum, id est non credit in eum, nec scit cognitione sensuali, vel non videt oculo carnis, nec scit oculo mentis. „*Vos autem cognoscetis eum,*“ quia plene credetis in eum, qui non plene nunc creditis.

Quod ergo breviter insinuavit mulieri simplici dicens „*Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate,*“ hoc longius probavit discipulis respondens ad Philippi quaestionem. Probatio autem ad mulierem fuit ista: Spiritus est Deus, ergo eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Sic accipe argumentum: Deus est spiritus, quia essentia incorporea, qui est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ergo deitatem oportet adorare eos, qui adorant, in Patre et in Filio et in Spiritu sancto, et per consequens oportet salvandos credere in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum, et per consequens in Deum unum in essentia et trinum in personis.

334 Emendováno, nec Flacius.

Ad secundum dubium respondet Magister Sententiarum in Quarto, distinctione 17, capitulo 20 dicens: „Quid ergo super his sentiendum est, quid tenendum super his, scilicet utrum absque satisfactione et oris confessione, per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur? Sane“, inquit, „sine confessione oris et solutione poenae exterioris delentur peccata per contritionem et humilitatem cordis. Ex quo enim proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit, quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima mundatur interius a macula et contagio peccati commissi et debitum aeternae mortis relaxatur“. Haec Magister Sententiarum. Ad idem dicit Augustinus: „Nondum pronunciat, sed promittit se pronunciatum; et Deus dimittit, quia hoc ipsum dicere quodammodo pronunciare est corde. Nondum est vox in ore, ut homo audiat confessionem, et Deus audit. Item Ezechielis 18: Quacunq̄ue hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, omnium iniquitatum suarum non recordabor. Non dicitur: homo confessus fuerit, sed: conversus ingemuerit. Unde datur intelligi, quod etiam ore tacente veniam etiam consequuntur.“

Item Psalmista: „*Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.*“ Item Chrysostomus in libro De compunctione cordis dicit: „Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire volo Prophetae dicenti: Revela viam tuam ante Deum, confitere peccata tua apud verum iudicem, cum oratione delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiae tuae memoria, et tunc demum spera te misericordiam consequi posse.“ Haec ille, et allegat eum Magister in 4 distinctione 17, capitulo 3.

Ex his patet, quod potest aliquis homo salvari, qui non confitetur ore sacerdoti mortali. Patet istud in publicano Lucae 18, qui solum dixit: „*Deus propitius esto mihi peccatori*“, et iustificatus est. Patet etiam istud de patribus Veteris legis, patet de pueris parvis, patet de mutis et surdis a nativitate, patet de occisis per violentiam, patet de habitantibus in desertis, patet de captivis in paganismo christianis, quos temeraria esset impietas et diabolica condemnare.

Ad tertium dubium respondet beatus Hieronymus super Naum prophetam, et allegat eum Magister Sententiarum libro 4, distinctione 25, capitulo 2 dicens: „Illa ergo auctoritas Naum non cogit nos sentire omnia, quae temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda. Nam etsi super eundem locum Hieronymus dicat Aegyptios et Israelitas a Deo temporaliter punitos, ne in aeternum punirentur, non est tamen de omnibus generaliter intelligendum. Ait enim sic: Quod genus humanum diluvio, Sodomitas igne, Aegyptios mari, Israelitas in heremo perdidit, scitote ideo temporaliter pro peccatis punivisse, ne in aeternum punirentur, quia non vindicat Deus bis in idipsum. Qui ergo puniti sunt, postea non punirentur, alioqui mentitur Scriptura, quod nephas est dicere.“ Item 3 capitulo Magister ibidem dicit: „Attende, lector, his verbis ne de omnibus generaliter intelligas, sed de his tantum, qui inter ipsa flagella poenitentiam egerunt, credentes in Deum Hebraeorum, quam, etsi brevem et momentaneam, tamen non respuit Deus.“ Haec Magister.

Ecce manifeste dicit beatus Hieronymus, quod aliqui Aegyptii submersi in Mari Rubro, et aliqui Sodomitae subversi sunt salvati. Ex illo habetur, quod cuilibet homini durat tempus ad poenitentiam usque ad ultimum instans vitae suae, hoc est quamdiu vivit. Secundo habetur, quod de nullo nos homines mortales sine revelatione et sine Scriptura sacra debe-

mus asserere, quod aeternaliter sit damnatus. Et hoc vult Salvator dicens: „*Nolite condemnare et non condemnabimini.*“ Item Apostolus: „*Nolite iudicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui et illuminabit occulta et abscondita tenebrarum.*“ Amen.

Explicit Responsum ad tria dubia facta in Holomucz.